

SCRIPTA

Numéro Scripta : 1279

Auteur(s) : Jean de Ver [chevalier]

Bénéficiaire(s) : Étienne, Bayeux (chantre)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1247, mai

Action juridique : donation

Langue du texte : latin

Analyse

Jean de Ver, chevalier, donne en pure et perpétuelle aumône et garantit au chantre Étienne, à titre viager et pour son obit, des rentes annuelles et une terre à Ver : Étienne lui verse 26 livres tournois.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Bourrienne Valentin (Abbé), *Antiquus cartularius ecclesiae Baiocensis (Livre noir)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1902-1903, 2 vol., n° DIV, t. 2, p. 248-249.

Texte établi d'après a

Sciant omnes præsentes et futuri quod ego Johannes de Ver, miles, dedi et concessi Stephano, cantori ecclesiæ Baiocensis, in puram, quietam in omnibus, et perpetuam elemosinam, undecim quarterios frumenti et dimidium, et unam minam ordei, ad mensuram de Ver, annui redditus in septembri, cum duabus gallinis ad Natale, et viginti ovis ad Pascha, percipiendos in una pecia terræ quæ cumputatur pro una acra et dimidia terræ, sitæ in territorio de Ver, juxta terram Torgisii Le Gruer, quam dictam peciam terræ de me tenebat feodaliter Johannes Le Breton, per redditum supradictum ; et tres quarterios frumenti de annuo redditu in septembri, unum caponem ad Natale, et decem ova ad Pascha, percipienda in una pecia terræ quæ computatur pro una virgata et dimidia terræ, sitæ in dicto territorio, apud Lessaetes, juxta terram Fulconis de Maton, quam dictam peciam terræ de me tenebat feodaliter Martinus Le Breton per redditum supradictum ; et unam acram terræ, quam habebam in dominico meo, sitam in dicto territorio, juxta terram Johannis de Monasterio : tenendam et habendam in puram, quietam in omnibus, et perpetuam elemosinam, dictam acram terræ et omnibus redditus supradictos, tam in blado quam in regardis prænominatis, cum homagiis et omni jure quod habebam et habere poteram in prædictis tenementis, dicto Stephano quoad vixerit ; et post ejus decessum, hæc omnia ad obitum ejusdem Stephani in ecclesia Baiocensi, secundum consuetudinem ejusdem ecclesiæ, recolendum in perpetuum remanebunt. Volo etiam et concedo quod prædictus Stephanus, et custodes redditum ecclesiæ memoratæ, faciant de cetero qualemcumque voluerint justiciam in prædictis tenementis et in omnibus aliis tenementis quæ teneo feodaliter de capitulo Baiocensi apud Ver, sive in terris, sive in domibus, vel in porprisiis, pro prædictis omnibus redditibus ad prædictos terminos, prout dictum est, habendis, si habere non possent. Hos autem prædictos redditus, cum prædicta acra terræ, ego et mei hæredes tenemur dicto Stephano et ecclesiæ memoratæ in perpetuum defendere, acquitare in omnibus contra omnes gentes et garantizare, vel alibi, in nostra propria hæreditate, excambiare competenter, si ibidem garantizare non possemus. Pro hac autem defensione, acquitazione, garantizatione, et excambiatione, dicto Stephanus et ecclesiæ memoratæ a me et meis hæredibus faciendis, dictus Stephanus dedit michi viginti sex libras Turonenses. Et, ut hoc firmum et

stable perseveret, præsentem cartam sigilli mei munimine roboravi. Actum anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo septimo, in mense maii.